

non insertis, sed extrâ dentes positis, sint venenati, omnibus notissimum, nec verò alii. Ex his mihi innotuère :

Naja : Coluber scutis abdomin. 193, squamis caudæ 6. *Syst. Nat.*, edit. 6, pag. 34, n^o 7, cujus historia habetur in *Amæn. Acad.*, tom. II, *De Ligno Colubrino*. Kæmpf. *Amæn.* 565. Seb. *Thes.* 2, t. 90, f. 1, et t. 85, f. 1, 2, et t. 89, f. 1, 2, 3, 4, et t. 97, f. 1, 2, 3, 8, et t. 90, f. 2. Absolutè lethalis, nisi unicè ophiorhiza adhibeatur.

Vipera vera Egyptiorum : Coluber scutis abd. 118, squam. caud. 20. Hasselquist. *Act. Upsal.* 1750, p. 24, cujus venenum notissimum.

Atropos : Coluber scutis abd. 131, squam. caud. 22. *Mus. Reg. nostr.*, pag. 22. Catesb. *Carol.* 2, pag. 26, t. 26.

Vulgaris : Coluber scutis abd. 146, squam. caud. 39. *Faun. Succ.* 260. Non synonyma, sed tantùm Anglorum, dorso vitta nigra. Apud nos mordet homines, ut intumescant, flavescant, asthmate et peripneumoniâ corrumpantur, et sæpè pereant.

Aspidulus : Coluber scut. abd. 150, squamis caud. 34. *Faun. Succ.* 261. *Act. Stockh.*, 1750. Parvus, ferrugineus, rarus, apud nos ferè semper lethalis. Contrâ hujus morsum non valet oleum olivarum.